



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

42. An liceat occidere bannitum proditorie, & per insidias? Et an proscripti possint se ipsos invicem etiam proditorie, & per insidias occidere, propter præmium à Principe, vel ob promissam sibi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

De Homicidio, Resol. XLI. &c. III

de furti & furum 37. in princ. ff. de usurpat. & usurpat. c. cum voluntate 54. in princ. exrv. de senent. excommunic. Et nostram sententiam præter Doctores citatos tenet Vleicus Hunnius in Collegio criminali, dist. 8. n. 41. asserens filium impunè posse occidere patrem cum moderamine inculpatæ tutelæ.

RESOL. XLI.

An filius impunè occidere queat patrem bannitum?
Et in tali casu, an potius filius teneatur alimenta præstare Patri?
Et inferitur non licere liberto Dominum suum in adultério vxoris deprehensum occidere. Ex part. 8. tract. 7. & Misc. Ref. 42.

Sup. hoc in Ref. seq. ff. pater in §. 1. **A**ffirmatiuè respondet Bartolus in l. si adulterium 38. §. liberto. 9. ff. ad leg. lul. de adult. & in l. minime 35. ff. de religiof. & sumpt. funer. Paulus Castr. consil. 426. in princ. lib. 1. Panorum, consil. 108. circa medium. lib. 1. Decian. in tr. crimin. lib. 7. c. 9. n. 8. & plures alij. Sed alij negatiuam sententiam docent, propter textum in d. l. si adulterium 38. §. liberto. 9. ff. ad l. lul. de adult. vbi Papinianus respondet, non licere liberto dominum suum, in adultério vxoris deprehensum, interficere: tamen si alios impunè interficere possit. Eiusque responsi hanc subiicit rationem: quoniam cuius fama consulendum est, multo magis vita parcendum est. Quam rationem multo fortius in patre militare, ipsa dicat natura: quæ abhorret, & auerfatur homicidia inter eos, quos sanguine coniunxit, & indissolubili mutui amoris vinculo copulauit. Quod facit etiam textus in Nouell. 12. c. 2. ibi: nam licet legum contemptor & impius sit, tamen pater est. Sic ergo licet pater bannitus sit, pater tamen filij est. Neque enim in hoc casu filius à patria potestate liberatur, vt tradunt Bald. Angel. & Alexander in l. si cum dotem 22. §. si patri. ff. solut. matr. & Ripa in l. ex falso 17. §. ex falso 5. ff. ad Senat. Trebell. Et præterea, quamuis pater hostis sit publicus: naturaliter tamen cognatus manet, & consanguineus, cum naturalis consanguinitatis affectio nullo pacto aboleat, nulloque iure dirimi possit, l. ius agnationis 34. ff. de pact. l. iura sanguinis 7. ff. de reg. iur. Ideoque vel ipsa natura monente, & veluti vigente, filius patris banniti, saluti potius consulere, quam eundem occidere, necesse habet. Hinc tantum abest, vt filius patrem bannitum, & proscriptum impunè interficere queat, vt etiam ei alimenta præstare teneatur, l. mihi 73. §. 1. ff. de iure dot. Aurb. incestas. c. de incestu. & inuilib. nupt. d. Nou. 12. c. 2. Menoch. d. lib. 1. de arb. iud. d. qu. 90. n. 45. Cephal. consil. 498. incipit, Mihi quoque, n. 5. & 7. Matthias Coler. in tr. de alimentis, lib. 1. c. 5. n. 16. & 18. 2. Nec obstat dicere quod scriptum est in l. minime 35. ff. de religiof. & sumpt. funer. filium sine vilo pena metu necare posse patrem, qui patriam oppugnat, quandoquidem Marcellus IC. in eo loco non indistinctè statuit, patrem hostem patriæ, à filio sine scelere siue pena interficere posse: sed tunc demum hoc fieri posse asserit, quando pater & patriam, & liberos oppugnas. In hoc siquidem casu filius tam ad patriam, quam seipsum defendendum, licet patrem occidit, nos autem huc nequaquam ea de specie loquimur, quando videlicet pater in ipso actu oppugnationis à filio interficitur, sed quando filius post patriam iam oppugnatam, & sic post crimen læsæ maiestatis peractum, patrem occidere desiderat: id eum impunè facere non posse, rationes superius adductæ perspicue conuincunt. Et hanc sententiam præter Clarum vbi inf. à. tenet Rolandus à Valle lib. 1. conf. 45. n. 62. Gilhausen in ardre iudicarij, lib. 1. g. 90. n. 41. 3. Sed hæc opinio licet sit communiter amplectenda.

Tom. VII.

da, tamen illam limitandam esse puto cum Gasparo Hurtad. de iust. & iud. disp. 1. 1. diff. 3. nisi pater proferat plus sit nimis noxius Reipublicæ, & illi nocimento nequeat aliter obuiari, & ideo non deseram hic apponere verba Ioannis Dicastrilli de iust. & iure lib. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 1. n. 15. vbi sic ait: Quæritur tamen potest, an liceat filio occidere patrem bannitum? multi affirmant, in quibus Barthol. Gomez, & alij apud Iulium §. homicidium, vers. sed hic quæram. Probabilius tamen est quod ipse Clarus docet, non licere. Nam ob eam præcisè causam non definit esse filius, neque amittit obligationem naturalem erga patrem. Quamuis, me quidem iudice, si pater esset noxius Reipubl. & communitati, neque aliud esset remedium auertendi tale damnum, tunc approbarem sententiam prædictorum auctorum. Nam, sicut filius potest accusare patrem de crimine hæresis, aut læsæ maiestatis, & cæteris, quæ vergunt in commune damnum, etiam si certo sciat inde patrem fore occidendum; ita, si non est aliud remedium auertendi damnum commune, nisi propria manu occidendo patrem proscriptum, videtur posse. Ita Dicastrillus, vbi etiam Mazuchellum tr. de cas. referend. disp. 2. c. 8. diff. 3. n. 10. & 11.

Sup. accusa-
tione in to.
5. tr. 9. Ref. 9.
& ibi in tr. 1.
Ref. 16. §. 1.
ad medium,
vers. nisi in
casu hæresis.

RESOL. XLII.

An liceat occidere bannitum proditorie, & per insidias?
Et an proscripti possint seipsos iniucem etiam proditorie,
& per insidias occidere, propter præmium à Principe,
vel ob promissam sibi libertatem?
Et an liceat filio occidere Patrem bannitum? Ex p. 5. tr. 4. Ref. 25.

§. 1. **M**Enochius de arb. lib. 9. qu. 49. Bonacina de contr. disp. 2. qu. vlt. scil. 1. part. 2. n. 3. Homobon. in consult. cas. consilient. tom. 1. part. 2. resp. 118. & alij in negatiuam sententiam inclinant propter periculum damnationis, cui frequenter exponitur bannitus si occidat in eo statu proditorie: hoc etiam tenent Doctores, quos citat Iul. Clarus in praxi crim. lib. 5. §. Homicidium, num. 61. & eius additionator litera M M M.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Molina de iust. tom. 4. tr. 3. disp. 7. n. 1. Filiucio 1. 2. tr. 28. c. 2. n. 5. Azorio 1. 3. lib. 2. c. 2. q. 3. & aliis, quoniam sua culpa cessare à peccatis non vult, maiorque ratio habenda est boni publici, quam particularis illius, qui sibi prospicere potest, & non vult: vide etiam Megalium 10. 1. resol. 59. n. 7. Hinc patet præscriptos posse se ipsos iniucem etiam proditorie, & per insidias occidere, propter præmium à Principe, vel ob promissam sibi libertatem, sic enim expedit communi bono.

3. Nota tamen quod licet iuxta sententiam Bartoli, Sup. hoc in Gomez & aliorum, liceat filio occidere patrem bannitum; mihi verò magis placet opinio Iulij Clari & Bonacina loci citatis, asserentium non licere, non enim filius in tali casu omittit obligationem naturalem, qua tenetur erga patrem.

RESOL. XLIII.

An liceat sine peccato occidere bannitum extra territorium proscripti?
Et quid, si esset bannitus à Summo Pontifice?
Et an liceat proponere præmium occidendi bannitum?
Et an liceat occidere grassatorem, qui vias publicas tenet?
Ex p. 5. tr. 4. Ref. 24.

§. 1. **N**egatiuè respondet Filiucio 1. 2. tr. 28. c. 2. n. 24. Bonacina vbi inf. n. 2. Emanuel Sà

K 2 977.